




II k  
3624





B. M. II. 362. a) 508

h. 70, 15.

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA  
SISTENS  
SELECTA QVÆDAM  
DE  
PROCVRATORIBVS  
CAPITA

QVAM  
AVSPICIIS DIVINIS  
INDVLTV ET AVCTORATE ILLVSTRIS  
ICTORVM ORDINIS  
IN PERANTIQA ELECTORALI ACADEMIA ERFVRTENSI  
P R Æ S I D E  
MAGNIFICO VNIVERSITATIS RECTORE  
MODO FACVLTATIS IVRIDICÆ  
DECANO

DN. RVDOLPH. CHRIST. HENNE  
ICTO

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CON-  
SILIARIO REGIMINIS ORD. ICTORVM ET IVDICII ELE-  
CTOR. PROVINCIAL. ADSESSORE NEC NON CODICIS  
ET IVR. FEVDAL. PROFESSORE PVBLICO  
ORDINAR.

DIE VI. APRIL MDCCCLXIX.  
IN AUDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI  
PRO SYMMIS IN VTRQVE IVRE HONORIBVS ET  
PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS LEGITIME  
CONSEQUENDIS  
PUBLICÆ DISQVISITIONI SVBMITTIT  
AVCTOR  
IOANNES FRIDERICVS SCHOLZE

ZITTAVIA - LVSATVS  
ADVOCATVS ELECT. SAX. IMMATRICVLATVS.

ERFORDIÆ, LITERIS NONNIANIS, ACADEM. TYPOGR.



DISSERTATIO INAGURATIVA IURIDICA  
SISTENS

SELECTA QVADAM  
PROCATORIBVS  
CAPITA

QVAM  
VASCINIO THINNI  
HABITAT AVTOGRAPHAS HISTORIAS  
ICTORE ALBORDINI  
IN FERNHIOVA FECOTORIA VADIMU EPIPHYSI  
PK 32 ELL  
AVOCO ZINHREHTAS RICOTORE  
MODO IURIDICA IURIDICE  
PHEASO

DI RUDOLPHI CHRISTI HINNE

SCOTO  
QUAM  
VASCINIO THINNI  
HABITAT AVTOGRAPHAS HISTORIAS  
ICTORE ALBORDINI  
IN FERNHIOVA FECOTORIA VADIMU EPIPHYSI  
PK 32 ELL  
AVOCO ZINHREHTAS RICOTORE  
MODO IURIDICA IURIDICE  
PHEASO

SCOTO

SCOTO

SCOTO

SCOTO

SCOTO

SCOTO

VIRIS  
MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, PRÆNOBILIS-  
SIMIS, IVRECONSULTISSIMIS  
DOCTISSIMIS,

CONSVLIBVS,  
SYNDICO,  
PRÆTORIBVS,  
IVDICII ASSESSORI,  
SCABINIS,  
SENATORIBVS

REIPUBLICÆ ZITTAVIENSIS PATRIBVS CON-  
SCRIPTIS GRAVISSIMIS,

PA-



PATRONIS ET FAVTORIEVS SVIS OMNI HONORIS

CVLTV DEVENERANDIS,

HANCCE DISSERTATIONEM SVMMA

DEVOTIONE

D. D. D.

AVCTOR

IOANNES FRIDERICVS SCHOLZE.



DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA  
SISTENS  
SELECTA QVÆDAM  
DE PROCVRATORIBVS  
CAPITA

§. I.

A duocatorum munus antiquius est quam *Procuratorum*, quod serius demum in Republ. Rom. cognitum est & admissum. Nam etsi moribus Romanorum antiquissimis partes litigantes præsentes iudicio interesse deberent, nondum cognitis procuratoribus: tamen & tum iam iis ex ipso Romuli instituto adissebant *Patroni*, suorum *clientum* defensores. Ex his deinde orti sunt *Aduocati*. Nam licet Plauti & Ciceronis temporibus differentia esset inter *Oratorem* & *Aduocatum*, ita ut Aduocati dicerentur amici, qui cum partibus litigantibus in primis cum Reis in iudicium venirent, & præsentia

A 2

sentia sua iis adessent, quo eorum gratia auctoritateue iudices mouerentur 1); Oratores vero, qui ipsam causam orarent id est agerent & postularent: tamen securis temporibus, cum ex Aduocatis istis quidam etiam causas orarent, factum est, ut Aduocati nomen etiam his causidicis tribueretur, certe in iure nostro Aduocati, qui tantum gratia adstant, nulli occurunt, verum sunt illi ipsi, qui olim Oratores, & aduocatio ac postulatio non differunt 2). Deinde etiam, licet tardius, a veteri rigore abitum est, nec præcise ipsorum litigantium præsentia desiderata amplius est. Hinc procuratorum vsus esse cœpit 3), qui vices litigantium absentium suscepérunt.

1) hoc sensu CICERO Philipp. I. cap. 7. armatos homines, quos secum in senatum adduxerat Antonius Consul, *Aduocatos eleganter nominat*, dum ait: *Vellem adesset Antonius, modo sine Aduocatis.* 2) l. 6. & l. 8. ff. de postuland. LEYSER spec. 51. medit. 3. GVNDLINGII Digesta h. t. pag. 315. licet is etiam Aduocatum & procuratorem confundere fere videatur. add. HOFFMANN. diss. de Origine & conditione procuratorum. 3) pr. I. de iis per quos agere possumus.

### §. II.

Procurator ergo est, qui litem alienam mandato Domini administrat. 1.) Ad ipsum ergo pertinet cura litis, quem ipse Principalis seu Dominus subire debebat; at Aduocatus ius suppeditat, & clientis iura deducit iudicique exponit. Nec incognitæ sunt reliquæ differentiæ inter Aduocatum & procuratorem, ex quibus potiores saltim enumera-bimus. Nimirum, procurator semper est cum mandato vel vero vel præsumto saltim; Aduocatus vero est sine manda-to. Neque enim de mandato Aduocati villa in iure mentio.

Idque

Idque etiamnum vsu fori obtinet, ut distinguamus inter procurarem einen Anwalt & inter Aduocatum qui praesenti clienti solum adsistit einen Rechtl. Beystand oder Schriftsteller. Hic posterior legitimatione non indiget e. g. si Actor ipse in Termino cum Aduocato suo compareat, ipseque huius producta subscriptabat, perperam legitimatio eidem iniungitur 2). Hinc cum in tali casu scabini Halenses anno 1763. Aduocato iniunxit: durch eine Vollmacht sich ad Acta zu legitimiren, eam sententiam merito reformatum scabini Lenenses pronunciando: Nunmehr aus denen Acten — so viel zu befinden, daß Klägers Schriftsteller durch eine Vollmacht sich zu den Acten zu legitimiren nicht schuldig. Additis his rationibus: Dieweil Kläger die zu denen Acten gebrachte Schriften und Sätze selbst eigenhändig unterschrieben, mithin das verhandelte durchgängig genehmigt, und des Schriftstellers als eines Anwalts sich nirgend bedient hat; folglich auch die Beybringung einer Vollmacht nicht nothig ist — So — Porro Aduocatus in iudicio non cogitur quidquam satisdare: procurator vero cogitur 3). Contra Aduocatus in iudicio præstat solenne & legitimum iuramentum calumnia; procurator non item 4). Procurator post l. C. fit dominus litis de iure Romano; Aduocatus non fit 5). Nec minus per Dd. passim allegatur & hæc differentia: Aduocati manus & officium est honoratum; procuratoris vero est vile, eumque in finem prouocant ad §. vlt. I. de Excepr. & l. 34. C. de Decurion. Sed citatus §. I. supponit infamiam dubiam, nam notorie infames nec de iure rom. ad procuratoris officium admittuntur, & cit. l. 34. loquitur de procuratore extra-iudicali 6). Nihilominus tamen officium Aduocati magis

honoratum est, quam procuratoris, quod vel ex eo probatur, quod Aduocatus habeat *clientem*, vnde & *patronus* dicitur; procurator vero habeat dominum seu Principalem. Qui aduocatum adit, in eius velut patrocinium & clientelam se dat, at qui procuratorem constituit, is ei mandat & quasi præscribit, a quo præscripto totus pendet, nec ultra id progredi potest 7). Sicuti etiam Aduocatorum multa sunt privilegia & immunitates; procuratorum autem nullæ prodita sunt in iure 8). Procurator denique male causam administrans tenet mandati, & eo non soluendo existente, Dominus aduersus partem aduersam in integrum restituitur 9); Aduocatus vero licet male causam orans non tenetur, nisi dolo malo prævaricetur 10). Nec extra casum prævaricationis Cliens aduersus ea, quæ Aduocatus neglexit, ne in subsidium quidem restituitur 11). Ex his ergo, ne plura cumulemus, satis adparet nomina & officia Aduocatorum & procuratorum insigniter inter se differre, nec ideo quod de Aduocatis dicitur, statim procuratoribus & vice versa applicari posse. Interim in multis iudiciis hodie vtrumque officium vel in vnum coaluit, vel saltim leges permittunt, vtrumque officium ab vna persona expediri. Sunt tamen hodieque iudicia, vbi hæc Aduocatorum & Procuratorum officia discreta permanerunt.

- 1) l. 1. ff. de procurat. 2) ENGAV Decis. & Resp. P. I. De-  
208. n. 1. GRIBNER Principia process. L. 1. c. 2. sect. 3.  
§. 2. 3) per tit. I. de fatisdat. 4) l. 14. §. 1. C.  
de indic. §. 1. I. de pœna temere litigant. 5) l. 1. C. de  
Error. Aduocat. 6) vide GUNDLINGII Digesta tit. de  
procurat. p. 315. Leyfer spec. 51. medit. 6. 7) l. 21.  
C. de

C. de procurat. 8) l. 4. C. de Aduoc. diuersf. iudicium.  
 9) l. 8. §. 1. ff. Mandati. WERNHER p. 2. Obs. 391. GAIL.  
 L. I. Obs. 45. 10) l. 1. C. de Aduocat. diuersf. iudicior-  
 l. 3. §. 3. ff. de praeuaricat. sicuti eriam Dd. in casu præua-  
 ricationis mirius cum aduocato respectu publici, quod gerit  
 officii, quam cum procuratore agendum esse volunt. BÖH-  
 MER ad *Carpzov.* praet. Crim. qu. 93. Obs. 4. 11) WERN-  
 HER p. 8. Obs. 363. MEV. p. 3. Decis. 29.

## S. III.

Sed linquamus Aduocatos, cum in præsenti de *procura-*  
*toribus* solummodo quædam tractare animus sit. Horum nunc  
 quidem notissima distinctio est in *Vniuersales particulares*, *ge-*  
*nerales speciales*, *cum libera & sine libera*: sed nihilominus Dd.  
 in definitionibus, in subordinandis his procuratorum spe-  
 ciebus, & in ipso harum diuisionum fundamento insigniter  
 discrepant<sup>i</sup>), manifesto arguento, non omnia quæ practica  
 sunt, etiam facilia & difficultatum expertia esse. Quodsi  
 vero rem ipsam & procuratoriorum diuersas formulas intu-  
 emur: ita procuratores commode diuidi posse nobis vide-  
 tur. Nempe procuratori (qui in genere vel ad lites datur,  
 vel ad negotia adeoque vel *iudicialis*, vel *extrajudicialis* est)  
 vel omnia negotia commissa sunt, vel non. Ille vocatur  
*Vniuersalis*, hic *particularis*. Vterque rursus vel generaliter  
 constitutus est, vel specialiter cum specifica actuum, qui ip-  
 si commissi esse debent, expressione. In priori casu voca-  
 tur *generalis*, in posteriori *specialis*. Rursus generalis consti-  
 tuio vel simpliciter fit, vel simul facta mentione libera<sup>æ</sup> po-  
 testatis intuitu negotiorum commissorum; hinc procura-  
 tor generalis vel *simpliciter talis* est, vel *cum libera*. In *spe-*  
*ciali*

*ciali* procuratore vero specificatio actuum commissorum vel sit animo restringendi procuratoris potestatem, vel animo eam ampliandi; hinc *specialis procurator* vel *restrictive talis* est, vel *ampliative talis* quem posteriorem proprię *specialem* vocare solemus, eumque *speciale mandatum* habere dicimus. Nunc de singulis scorsim agamus.

1) probationem dictorum pere ex *tit. Iure Priv.* p. 501. §. 1. *LVDOVICI Doctr.* ff. *tit.* de *procur.* §. 3. & 11. *BELLFELD.* *Iurispr.* *forens.* *tit.* *eod.* §. 401. *NOODT.* de *paſt.* & *transact.* c. 27. *DVAREN.* ad *tit.* de *procur.* in *Opp.* p. 68. *BOHMER.* in *Iure E. L. I.* tit. 38. §. 2. *LYNCKER.* *diss.* de *for-*  
*mis procuratoriis.* 2) ita fere ipse *PAVLVS L. I.* *sentent.* *tit.* 10. §. 2. his verbis: „*Procurator aut ad litem aut ad omne negotium, aut ad partem negotii, aut ad res domini administrandas datur,*“ id est: *procurator* vel est *iudicialis* vel *extrajudicialis*, & vterque vel *vniuersalis*, vel *particularis*, qui ad partem negotii datur.

#### S. IV.

De procuratore *iudicali* et *extrajudicali* nihil opus est dicere, cum per se hæc diuisio intelligatur. Altera vero diuisio itidem ab *objecto* desumpta, qua *procuratores* vel *vniuersales* vel *particulares* sunt, in iure nostro iisdem verbis non occurrit, sed ibi magis termini *generalis* & *specialis* *procuratoris* audiuntur 1). Sed non sine causa adpellatione *vniuersalis* & *particularis* *procuratoris* cum aliis utimur, ne scil. *procurator* ratione *objecti* *generalis* aut *specialis*, cum *procuratore* ratione *potestatis* *generalis* aut *speciali* confundatur. Ob eandem etiam causam sub *procuratore* *vniuersali* comprehendimus etiam eum, qui ad *omnia quidem negotia* sed tan-

tantum iudicialia, vel ad omnia quidem negotia sed tantum extrajudicialia datus est, adeoque cum LAVTERBACHIO 2) vniuersales procuratores in *simpliciter tales & certo respectu tales* subdiuidimus. Vniuersalis simpliciter talis is est, qui ad vniuersa negotia tam judicialia quam extrajudicialia constitutus est, qui in iure nostro audit *omnium rerum & omnium negotiorum* (negotia enim & lites 3) continent *procurator* 4), & de eo dicitur, quod *generale mandatum de vniuersis negotiis habeat* 5). Vniuersalis autem certo respectu talis ad vnum genus negotiorum duntaxat, e. g. ad omnes lites constitutus est 6), & vniuersalis tamen recte dicitur ratione eius, qui ad vnam litem saltim datus est. Solet tamen is posterior in Praxi plerumque *Generalis* adpellari, & de eo prædicitur, quod habeat *ein General-Mandat* 7); quod æque recte dictum putamus, modo meminerimus semper, talem procuratorem saltim ratione *objetti generalem* adpellari.

Porro *particularis* vel plurium causarum 8), vel vnius rei 9) aut litis 10) esse potest, nam talis cum ad omnia datus non sit, merito particularis vocatur, et si ad plus quam vnum negotium datus sit. Comprehendimus eo etiam cum, qui ad vnicum saltim actum constitutus est, vt ad litem contestandam, vel iuramentum præstandum, qualis in iure nostro ad vnam speciem constitutus dicitur 11), quanquam talis & ad sequentem diuisionem, quæ a potestate desumpta est, referri possit, vti §. seq. ostendemus.

1) vide NOODT de pactis & transact. cap. 27. & passim Commentatores ad tit. ff. de procur. 2) in Colleg. ff. tit. de procur. 3) l. 46. §. 7. de procur. cap. 2. X. de procur. cap. 5, eod. in 6, iunct. c. 10. §. Negotiorum X. de Verb. signif.

signif. 4) l. 1. §. 1. de procur. l. 25. §. 1. de Minor.  
l. 6. §. 6. Mand. iunct. l. 12. de solut. l. 12. de paſt.  
5) in l. 25. §. 1. de Minor. 6) vide l. 33. §. 1. de pro-  
cur. ibi: *procurator in actionibus.* 7) vide *Rec. Imp.* de  
a. 1654. §. 101. & *Ord. Camer.* p. I. tit. 21. §. vlt. adde  
BERGER in *Oecon. Iur.* p. 961. 8) l. 46. Mandati. 9)  
l. 1. §. 1. de procur. add. l. 12. §. 7. Mandat. 10) vide  
l. 86. de solut. l. 13. de paſt. 11) l. 10. C. de procur.  
adde l. 8. C. qui pet. tutor. FRANTZKE tit. Mandati n. 67.

## S. V.

Sequens diuīsio procuratorum a *poteſtate & forma* de-  
ſumta eſt; eaque adeo pertinet & ad vniuersales & ad par-  
ticulares procuratores. Eſt vero *generalis* procurator qui  
generaliter ſolum ſine ſpecifica actuum expreſſione conſi-  
titutus eſt, e. g. mando tibi omnes lites meas, aut hanc litem  
adminiſtrandam 1). Isque hoc modo *ſimpliciter* conſtitutus  
audit. Si negotium vel negotia ſimul eidem ex voluntate  
& pro arbitrio gerenda pernittantur, euadit procurator ge-  
neralis *cum libera* 2). Formula germ. eſt: ich gebe mei-  
nem Anwalt freye Macht und Gewalt alles dasenige  
bey dieser Sache zu verrichten, was ich ſelbst verrichten  
könne oder wollte. In iure hoc exprimitur per *plena-*  
*poteſtatem*, per *liberam rerum adminiſtrationem*, & per *faculta-*  
*tem expediendi negotia commissa*, VT VVLT procurator 3).  
Contra *specialis* procurator aut eſt is, cui fines ih expedien-  
do negotio *præscripti* ſunt, 4) de quo in iure dicitur, quod  
mandatum *certum* habeat 5), quorū etiam referimus eum,  
qui ad *vnicum actum* tantummodo conſtitutus eſt (§. *antece-*  
*dit in f.*), per hoc enim aperte limites ei poſti ſunt, quos egre-  
di non potest, ſiquidem ideo etiam in l. 10. C. de procur. talis  
pro-

procurator opponitur ei, qui plenam potestatem habet: manifesto arguento talem procuratorem rectius ad *speciales*, quam ad *particulares* procuratores referendum esse. Aut *specialis* procurator est is, cui specialiter & nominatim actus tales exercendi permitti sunt, qui absque eo expediri a procuratore sive vniuersali sive particulari non possent. Eius itaque potestas hac specifica actuum enumeratione amplior facta est 6). Leges hoc vocant: *nominatim committere*, & *speciale mandatum habere* 7). Et speciale mandatum hic non est, quod separatim conficitur, sed est nominata insertio actuum singularium in mandatum generale.

- 1) conf. l. 60. & l. 63. de procur. cap. 4. & 5. X. de procur. in 6. 2) l. 58. de procur. 3) l. 10. C. de procur. l. 58. ff. de procur. §. 42. I. de Rer. Divis. l. 60. §. 4. Mand. quæ lex clare probat, etiam de iure Civ. Domini num potestatem ordinaria maiorem procuratori per speciales clausulas concedere posse. THEOPHILVS in paraphr. I. §. 42. cit. de Rer. Div. 4) exemplum intuitu procuratoris *Vniuersalis* est in l. 65. §. 7. pro soc. intuitu *particularis* passim etiam exempla occurunt, ut in l. 5. §. 2. Mandat. §. in l. 46. ff. Mandati. 6) vide l. 16. C. de procurat. vbi sermo est de procuratore *particulari*. 7) vide l. 47. de past. l. 65. §. 7. pro soc. l. 63. de procur. l. 26. de Minor. l. 17. §. 3. de iurejur.

### §. VI.

Ex his dictis ergo patescit, procuratorum diuisiones in vniuersales particulares, generales & speciales confundi ingicem non debere, cum altera ad obieclum, altera ad potestatem & modum administrandi spectet. Sic enim qui *vniuersalis* est procurator simul etiam *particularis* est, cum omnia

negotia etiam hoc particulare negotium contineant, at non ideo etiam *specialis* est, id est: non potest ea peragere, quæ speciale mandatum requirunt. Et contra *generalis* procurator etiam vnius rei sive vnius negotii esse potest 1).

1) conf. l. 46. Mandat. l. 3. §. 1. & 2. & l. 5. §. 2. cod.  
§. VII.

Intelligitur inde quoque quid de celebrata distinctione *procuratorum omnium bonorum* in tales quæ *cum libera*, & in tales quæ *sine libera* sint, sentiendum sit, quam multi ex recentioribus ICti reiecerunt prorsus & iuri Civ. incognitam adseruerunt 1), licet non desuerint, qui communem sententiam strenue & cum successu defenderunt 2), quorum argumenta repetere nolumus. Ex nostro qualicunque iudicio hæc distinctio neque deferenda est, vt pote in ipsa mandati natura & diuersa formula fundata, cum utique *pleniorem* potestatem conferre procuratori censendus sit is, qui mandatum cum litera dat, quam qui simpliciter dat; neque tamen etiam ea, vt vulgo fit, ad solos *procuratores omnium bonorum* restringenda est. Nam cum hæc clausula ad potestatem & modum administrandi pertineat: potest tam in vniuersali, quam in particulari procuratore locum habere, eiusque mandato accedere 3). Nam & ad *singulare negotium* procurator cum libera dari potest, sicut e contrario procurator *omnium bonorum* etiam *sine libera* constitui potest. Ex quo euidens fit, procuratorem cum libera & procuratorem *omnium bonorum* non vnum eundemque esse, nec clausulam cum libera vniuersali mandato sua natura inesse. Facilius tamen cum Dd. not. 1. citatis transfigerem quoad quæstionem: Annon de iure Civ. *omnium bonorum* procurator etiam

etiam simpliciter constitutus idem possit, ac is, qui cum libera constitutus est? Nam non prorsus improbabiliter adseri credo, utrumque eandem potestatem habere, & quod in uno facit voluntas mandantis expressa, qui liberam administrationem dedit, id in altero iam facere ipsam rei & mandati vniuersalis naturam, cum administratio omnium bonorum iam hanc libertatem administrationis continere, nec sine ea consistere posse videatur. Accedit praesertim, quod ii, qui hic dissentunt, ex legibus nostris vix aliud discrimen, quod inter utrumque procuratorem intercedat, adferre possunt, quam id quod potestatem alienandi respicit, quam liberiorem & quoque extra casum necessitatis procuratori, qui est cum libera, tribuunt. In reliquis enim utrumque convenire concedunt. At leges, 4) quaerunt hoc discrimen stabili-  
re videntur, aliam etiam explicationem admittunt 1). Interim tamen hoc manet, quod clausula cum libera etiam mandato particulari accedere possit, quod cum ad certum obiectum restrictum sit, libertatem illam administrationis, quaerunt vniuersale mandatum comitatur, in se habere non potest.

1) vide praeter DONELLVM & GIPHANIVM, NOODT. de pactis & transact. c. 27. HVBER praelect. ff. tit. de procurat in pr. VINVN. select. quæst. L. I. c. 9. BÖHMER in I.E. P. L. I. t. §. 38. 4. WERNHER p. I. Obs. 216. 2) in hunc censum referendi sunt STRVV. in Exerc. ad ff. tit. de procur. LYNCKER diss. de formis procurator. VÖET. ad ff. tit. de procurat. n. 7. HVNN. Var. Resolut. pag. 1164. GRIBNER diss. de mandato spec. §. 4. & qui potissimum nominandus est, BERGER in El. Disc. for. pag. 256-268. vbi Wernherum Collegam, qui in cit. Obs. 216. communem sententiam impugnauerat, refutauit, dissimula-

to tamen eius nomine, contra eius argumenta WERNHER,  
quidem in *supplem.* ad cit. Obsl. 216. suam sententiam de nouo  
defendere studuit, sed dubito, an omnibus satisfecerit. 3) i  
quod & *iuri Canon.* ad prime conuenit vid. c. 4. & 5. de  
procur. in 6. 4) l. 63. ff. de procur. iunct. l. 58. de  
proc. l. 9. §. 4. de Adqu. R. Dom. 5) vide præter BÖH-  
MERVM cit. LAVTERBACH. in Collegio ff. tit. de proc. §. 10.  
posse etiam non absurde dicere, ICtos veteres dissensisse, &  
Tribonianum, quod & alibi obseruatur, eorum dissensus si-  
mul operi ff. inferuisse.

### §. VIII.

Sed satis de hoc. Quoad vsum hodiernum, id saltim  
adhuc adnotabimus, procuratorem ad *unicum litis actum* con-  
stitutum in iudiciis non admitti, sed mandatum ad totam  
causam requiri 1). Clausula cum libera etiam in mandatis  
iudicialibus parum curatur, multo minus vim specialis man-  
dati habet, & licet plurimi Dd. eatenus saltim ei effectum  
adscribant, vt si casibus quibusdam speciale mandatum requi-  
rentibus subiiciatur, (verbis: sollte auch meinen Mandatario  
eine mehrere Gewalt, als hierinnen ausdrückl. begriffen,  
vonnöthen seyn, will ich ihm solche gleich als ob er hier:  
durch dazu in specie cum libera bevollmächtiget wäre,  
mitgetheilet haben) ea in reliquis non expressis casibus vim  
& effectum habeat, quod & *iuri Canon* 2) conforme est:  
tamen nec hoc vnu fori seruari testantur Dr. practici 3). In  
*Saxonia* tamen *Elect.* sufficit vnum alterumque actum speci-  
ale mandatum requirentem disertis verbis exprimere & dein  
clausulam generalem subiicere: daß der Gevollmächtigte alle  
Actus die ein Special-Mandat erfordern, expediren solle. Vi  
huius clausulae procurator etiam *reliquos actus speciale man-*  
*datum*

datum alias requirentes, quantumuis non expressos, expeditre potest, paucis his exceptis: transactione, litis & causæ renunciatione, iuramentorum remissione vel agnitione pro præstitis, agnitione documentorum pro editis ac recognitis, agnitione Copiarum pro Originalibus, & acceptance pecunia præter expensas 4).

- 1) MYNSING. I. Observ. 46. FABER in Cod. L. II. tit. 6. defin. 28. 2) cap. 4. de procur. in 6. de cuius intellectu vide LYNCKER de formis procurat. pag. 94. iunct. BÖHMER in I. E. L. I. t. 38. §. 3. 3) vide BERGER Resol. Laut. p. 84. & in El. D. For. p. 253. BÖHMER I. E. L. I. t. 38. §. 3. STRYK Cautel. Contr. S. 2. c. II. §. 4. iunct. tamen GRIEBNER. diff. de mandato spec. S. 20. 4) vid. ORD. PROC. RECOGN. tit. 7. §. 2.

#### §. IX.

Hactenus s̄ape actuum, qui speciale mandatum requirunt, mentionem iniecimus: de his ergo & paucula dicere nobis conueniet. De iis Dd. hanc regulam tradunt, speciali mandato tunc opus esse, quando actus magni præiudicii, vnde damnum insigne ad mandantem redundare potest, peragi debet. Et contra: actus qui nullum mandanti præiudicium afferunt, a procuratore et si ei nominatim concessi haud sint, recte expediri 1). In diiudicando ergo vtrum actus aliquis speciale mandatum exigat, an sub generali etiam contineatur, excutiendum est, vtrum actus, de quo quæstio est, vel in legibus ipsis, vel per sententiam Dd. & argumentis idoneis magni præiudicii esse declaratus sit, & pro tali haberri possit. Dicimus etiam: per sententias Dd. nam in iure nostro aliqui saltim actus expressi sunt, & regula, ex qua

qua de reliquis ferri possit iudicium, ibi prodita haud est 2). Dd. itaque hunc defecatum supplentes & regulam supra traditam dederunt, & exempla noua merito addiderunt 3).

- 1) vide CAREZOV. in Proc. tit. 5. art. 2. n. 3. & P. I. Const. 17. def. 43. n. 6. BÖHMER in I. E. L. I. t. 38. §. 10. BERGER Ocean. Iur. pag. 966. WERNHER p. 5. Observ. 105. 2) in c. 81. de Reg. Iur. in 6. ad quod vulgo prouocatur, habetur quidem: sub generali concessione non venire ea, *que quis verosimiliter non erat in specie concessurus*. Sed quæstio nihilominus indecisa manet, & de novo queri potest: quinam sint illi actus, quos quis verosimiliter non erat mandaturus. 3) MOZZIVS de Contractib. ad tit. de Mandat. n. 11. casus 97. collegit, sed dubito valde an genuina omnia sint exempla. Ad certas classes etiam casus hos, in quibus mandatum speciale requiritur, reducere voluit LYNCKER in diss. de formis procurat. p. 96-107.

### §. X.

Hanc regulam de actibus speciale mandatum requirentibus et si admittat etiam GRIBNERVS 1): taxat tamen & reprehendit Dd. quod principiorum suorum immemores nunc mandatum speciale desiderent in actibus, qui modicum aut nullum præiudicium continent, nunc in iis, qui longe grauius præiudicium inferri possunt, generali mandato sint contenti, idque ipsum, ut verbis fidem faciat, per exempla nonnulla comprobare sategit. Evidem nos non ibimus inficias Gribnerum in plurimis recte sentire: sed tamen quod attinet ad eos actus, quos Gribnerus summi præiudicii esse, & tamen absque speciali mandato quotidie in foro peragi contendit, eoque Litis Contestationem, responsionem ad articulos probatoriales & reprobatoriales, nec non guarandæ praesta-

præstationem refert; putamus censuram Auctoris maxima certe ex parte euitari posse per meliorem regulæ de actibus speciale mandatum requirentibus formationem. Nam hæc regula, si quid perspicimus, ita formanda est: Actus, qui maxi præiudicij sunt, neque tamen *ex negotio* 2) commisso sunt, siue: neque tamen mandato dato per se insunt indeque fluunt, illi speciale mandatum requirunt. Sic concidit censura GRIBNERI. Qui enim mihi administrationem litis concescit siue mandauit, annon simul mandauit litem contestari? respondere ad articulos? & guarandam præstare, quæ præsertim necessario a quoconque actore in saxoniam præstanda est? Hæc potestas ergo ex ipso mandato venit, & absque ea mandatum ad nihilum redigeretur: & conditio negotii mandati atque ordo hanc potestatem probant satis. Qui enim potest lis administrari sine litis Contestatione, sine guaranda præstatione? De *affirmativa* quidem litis Contestatione videtur censura Gribneri meliore fundamento niti. Nam licet Dominus procuratori litem mandauerit, & simul per consequentiam etiam litis Contestationem: non tamen ideo *affirmativa* litem contestari mandasse censendus est, quippe qui actus maioris præiudicij est 3). Sed cum nec litem *negativa* contestari Principalis expresse mandauerit: videbatur dicendum esse, procuratorem aut utrumque posse, aut neutrum, vti etiam GRIBNER *cit. l.* vult. Verum *yū fori* inualuit, vt *utrumque* possit procurator sine speciali mandato 4). Quod licet regulis supra traditis non examissim conueniat cum omnis litis Contestatio maximi momenti sit: in Praxi tamen nihil temere mutandum est. Strictissime vero merito id intelligendum est, adeoque ad reuocationem litis con-

C

testa-

testationis semel *negative* factæ extendi non debet. Hanc reuocationem sine speciali mandato peragere non potest procurator 5).

- 1) in *diff.* non sine fructu legenda: *de mandato speciali*: 2)  
 sic CAIVS in l. 9. §. 4. de Adq- Rer. Dom. & ex eo TRIBONIANVS in §. 43. I. de Rer. Diuis. tradunt, procuratorem *ex negotiis* rem domini vendere & tradere recte posse, et si id ei specialiter permisum non fuerit. Loquitur quidem hic textus de procurat. extrajudiciali *vniuersali*, sed in eo is non differt a judiciali & *particulari*, cui quippe perinde permisum esse debet etiam sine speciali mandato, quidquid *ex negotiis* est, conf. l. 58. & 62. ff. de procurat. & MYNSING. IV. Obs. 99. Nam qui mandat negotium ea omnia, sine quibus id expediti nequeit commode, mandasse censetur. 3) quod virget BERGER de dominio litis §. 17. distinguens adeo inter L. C. affirm. & negatiuam. Hanc procuratori sine spec. mandato licere concedit, non illam. 4) vide WERNHER p. X. Obs. 483. SCHROETER de L. C. affirmatiua §. 9. & 10. MYNSING. Centur. IV. Obs. 99. MENCK. Disp. Proc. V. ad tit. 7. §. 17. CARZOV. in Proc. tit. V. art. 2. n. 50. 5) BERGER El. Disc. for. tit. 16. Obs. I. WERNHER p. 10. Obs. 483.

## §. XI.

In eiusmodi actibus ergo requiritur speciale mandatum i. e. nominatim facta concessio actum expediendi, absque qua a procuratore nequeit suscipi. Satis tamen est, sub actu in mandato expresso, alium non expressum implicite & per necessariam consecutionem contineri, aut alterum alteri subordinatum esse atque connexum cum illo 1). Sic sub concessa facultate acceptandi iuramenta delata tacite etiam conti-

continetur potestas Principalem ad iuramentum intra Octoduum offerendi. Est enim oblatio hæc necessarium consequens facta acceptationis 2). Sic sub facultate expresse data substitutum reuocandi etiam ius substituendi continetur. Neque enim illa exerceri potest, nisi quis hoc antea fuerit usus 3). Sic qui transigendi mandato instructus est, iuramentum etiam deferre potest 4), licet hic alii dissentiant 5), adeoque tutius utique est, utramque facultatem speciatim exprimere.

- 1) BERGER Oecon. Iur. pag. 966. Nota 13. & in Resolut. Lau-  
terb. p. 89. WERNHER p. 6. Obs. 329. GRIBNER de manda-  
to speciali §. 21. BÖHMER I. E. L. I. t. 38. §. 3. & 9. 2)  
GRIBNER cit. l. §. 16. & BERGER in El. Disc. for. *Suppl.*  
T. II. p. 274. 3) BERGER El. Disc. for. p. 240. & p.  
252. Obs. 5. 4) GRIBNER cit. d. §. 21. 5) WERNHER  
p. 4. Obs. 53.

### §. XII.

De quasi-procuratoribus, id est de iis, quos lex ipsa vi  
præsumti mandati pro coniunctis admittit, quædam etiam  
num delibabimus spicilegii instar. Nam materia ipsa de  
quasi-procuratoribus in diss. quæ nuperrime sub præsidio  
ill. Viri, quo & ego fruor, proposita est 1), excusia satis fuit.  
Quæstionem itaque primo hanc, quæ cum antecedenter di-  
ctis affinitatem habet, tractabimus: An is, qui Cautionem de ra-  
to præstitit, si actum speciale mandatum requirentem (ad quos  
actus usque procuratoris talis præsumti potestas se non ex-  
tendit) suscepit, quem dein principalis ratihabere detre-  
ctat, etiam ad interesse teneatur? Negat hanc quæst. recte  
WERNHER 2), etsi enim, ut etiam in *cit. differt.* evictum est,  
effectus Cautionis de rato is sit, ut si alter negotium ratihab-  
bere nolit, cauens procurator interesse præstare debeat:

C 2

sup-

supponendum tamen semper est, actum eius generis esse, qui cautionem rati admittat, nec speciale mandatum desideret. Alias enim regressus aduersus cauentem locum habere nequit. Is enim, qui cum altero speciali mand. substituto eiusmodi magni præjudicij negotium contraxit, dese queri, sibi que imputare debet, quod non cautius in tali negotio versatus sit, & productionem specialis mandati exegerit. Aliud vero sine dubio dicendum est, si quis quasi-procuratorem in passibus præjudicialibus admittere noluit, is vero nihil minus cautione Rati oblata admissus est, tunc enim si alter eam Cautionem acceptauit, cauens ratihabitione dein non sequente, ad interesse vtique tenetur 3). Ut vero hæc rectius capiantur, notandum est, quasi-procuratorem qui præsumto mandato nititur, præstata Cautione rati solummodo æquiparari procuratori *generale* mandatum habenti. Iam sicuti procurator verum & expressum mandatum generale habens actus speciale mand. requirentes expedire nequit: ita nec præsumtus procurator. Sed rursus sicuti ille ad actum speciale mand. requirentem admititur, si eius intuitu Cautionem de rato fecit 4); ita & præsumtus procurator. Hic ergo licet iam generaliter cautionem de rato fecit, tamen intuitu actus speciale Mand. requirentis nouam & specialem cautionem de rato præstare debet; quæ cautio committitur, si dein Principalis hunc actum ratihabere detrectat. Sic WERNHERI & RIVINI asserta in concordiam adduci posse nobis videtur, & sic etiam conciliari possunt l. 1. C. de procur. & l. 5. §. 18. de Nov. Op. Nunc. in qua posteriore etiam verus procurator cautionem rati facere debere dicitur, scil. quia hic verus procurator solummodo *mandatum generale* habebat, noui Operis nunciatio vero speciale mandatum requirit 5).


1) sub

- 1) sub tit. de personis ex mandato præsumto in iudiciis agentibus. 2) p. 6. Observ. 359. 3) RIVIN. tit. 7. Enunciat. 16. 4) l. 5. §. 18. & l. 13. de Nov. Op. Nunc. I. 26. de Minor. 5) conf. vmm, ad Proc. disp. 9. pag. m. 394. BACHOV. ad Tr. I. disp. 9. th. 8. lit. b. c.

§. XIII.

Offert se denique sequens ab vsu fori haud remota quæsilio: An coniuncta persona per procuratorem etiam admittatur, sive: an quasi procurator, qui ex præsumto mandato in iudiciis admittitur, procuratorem etiam alium constituere possit? in qua Dd. valde variaſſe animaduerti. Sunt enim, qui abſciffe negant 1), quia nullus in iure textus occurrat, qui ei hanc potestatem faciat. Sunt porro qui simpliciter affirmant 2) ex contraria ratione, quod nempe coniunctis personis constitutio procuratoris licere debeat, dum nullibi ipsis interdicta sit, & quod ipſi facere possint, idem ipſos & per alios facere non prohibendos esse, vt tamen procurator ab ipsis constitutus habeat speciale mandatum ad præstationem cautionis rati. Sunt denique, qui distinguunt, & ante L. Contest. negant coniunctas personas substituere alium procuratorem posse, post L. C. vero affirmant, eo quod nunc dominii litis effecti sint 3). Iam cui sententia accedemus? Et postrema quidem hodie placere non potest, vbi pro explorato habemus, in iudiciis nostris dominium litis eiusque effectus non superesse amplius nec spectari 4), ergo nihil restat, quam ut coniunctis personis vel simpliciter potestatem alium procuratorem sufficiendi demus, vel negemus prorsus.

1) vide KLOCK in relat. Camer. Vot. 169. n. 18. ELVMEN in Proc. Cam. tit. 10. n. 10. MARTINI Proc. Continuat. tit. 7. §. 7. n. 10. de LVDOLPH Iur. Camer. pag. 402. n. 43. 2) vide MEV. p. 5, Decif. 295. n. 9-12. & Decif. 97. SCHVVENDEND.



ad Fibig. p. 240. not. b. CARPZOV. Proc. tit. §. art. §. n. §. MARTINI ad Ord. proc. tit. 7. §. 7. n. 10. RIVIN. tit. 7. Enunc. §. in f. 3) vide GIPHAN. ad l. 8. n. 4. C. de procurat. in Lectur. Altorph. p. 87. vmm. ad Proc. Disp. 3. §. 3. n. 11. 4) BÖHMER de dominio litis per tot. SCHAVMBVRG Princip. Proc. c. 2. general. §. 24. \*\* BEYER ad ff. tit. de procurat. post posit. 71.

#### S. XIV.

Enimuero si considero *dominum* duntaxat siue eum, qui *suo & proprio nomine* in iudicio recte comparet, procuratorem dare posse 1), eosque qui alieno nomine comparent, nonnisi post L. C. per quam litis domini facti sunt, procuratorem constituere posse 2), quod vero dominium apud nos vsum non habet; si porro considero tales procuratorem, a coniuncta persona constituendum, nihil aliud esse quam substitutum, apud nos vero & vnu iudiciorum procuratorem quidem tam ante quam post L. C. substituere posse, sed non aliter quam si facultatem substituendi specialiter accepit 3), quæ potestas deficit in Coniunctis personis seu quasi-procuratoribus. Nam earum præsumptum mandatum, vi cuius alieno nomine agere ipsis permittitur, nonnisi *mandati generalis* loco haberi tralatitium est, per consequens ius substituendi, quod speciale mandatum requirit, illi inesse non potest, & præterea hoc præsumptum mandatum etiam in singulari personæ qualitate (in Coniunctione) fundatur, vt proin dicendum videatur, sicuti in veris procuratoribus opus est, vt potestatem substituendi ab ipso domino acceperint, ita & præsumptos procuratores eam potestatem a lege habere debere, qualis vero lex deficit: si hæc omnia considero, non possum non quin in eorum castra transeam, qui procuratorem præsumptum alium rursus procuratorem dare vel substituere posse negant. Contraquam sententi-

am



am nihil prorsus valetratio ex MEVIO superius allegata, quod nempe nullibi coniunctis personis constitutio procuratoris prohibita sit. Nam sufficit, quod nec vllibi ipsis permissa sit, cumque sic lege destituamur res ex iuris analogia decidenda est, & videndum, quid in aliis procuratoribus iustum sit.

1) l. 1. ff. de procurat. 2) l. 8. l. 11. & l. 23. C. de procur. ibique Giphan. 3) BÖHMER de dominio litis cap. 3. §. 10. BERGER de dominio litis §. 37. CARPOV, tit. §. art. 5. n. 6. SCHILTER ad ff. Ex. X. th. 44.

### S. XV.

Atque in hanc sententiam quoque pronunciassfe a. 1738 inclytam facultatem Iurid. Erfordensem versus Isenacum compertum habeo, siquidem ei, qui pro se & fratribus sororibusque in iudicio comparuerat, simulque procuratorem (cuius legitimatio dein a parte aduersa impugnabatur) constituerat, meliorem legitimationem iniunxit. Fuit quoque hæc sententia expresse in Ord. Iudic. Magdeburg. c. 12. §. 8. confirmata his verbis: doch mag niemand pro coniuncta persona vel litis Consorte sub Cautione rati per Mandatarium zugelassen werden. Sed plura nunc addere temporis ratio vetat. Finimus ergo hic simulque L. B. decenter rogamus, vt hoc nostrum qualecunque specimen boni consulat, eaque in quibus forte errauimus, in meliorem partem benignè interpretetur.

## TANTVM.

# CONSPECTVS BREVIS DISSE- TATIONIS.

- §. I. **A**duocatorum & procuratorum origo & antiquitas inter se comparata.
- §. II. Differentiae inter procuratores & Aduocatos.
- §. III. IV. & V. de diuisione procuratorum in vniuersales par-  
ticulares, generales speciales, cum libera & sine libera medi-  
tationes.
- §. VI. & VII. Ex allata explicatione memoratae diuisionis con-  
fectaria elicuntur. Et
- §. VIII. de Vsu horum diuersorum procuratorum in iudiciis obser-  
uationes subiunguntur.
- §. IX. X. & XI. De actibus, qui speciale mandatum requirunt,  
& de regula in hunc finem a Dd. proposita, que magis expli-  
catur.
- §. XII. & XIII. de quasi-procuratoribus duæ quæstiones practi-  
ca mouentur, & dissertatio concluditur.



DK 3624 DK

X 2380197


no.





8								
7								
6								
5								
4								
3								
2								
1								
Inches								
1								
2								
3								
4								
5								
6								
7								
8								
9								
10								
11								
12								
13								
14								
15								
16								
17								
18								
19								
Centimetres								
1								
2								
3								
4								
5								
6								
7								
8								
9								
10								
11								
12								
13								
14								
15								
16								
17								
18								
19								

B.I.G.



B.I. II. 3620

508

H. 70, 18.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
SISTENS  
SELECTA QVÆDAM  
DE  
PROCVRATORIBVS  
CAPITA

QVAM  
AVSPICIIIS DIVINIS  
INDVLTV ET AVCTORATE ILLVSTRIS  
ICTORVM ORDINIS  
IN PERANTIQA ELECTORALI ACADEMIA ERFVRTENSI  
PRÆSIDE  
MAGNIFICO VNIVERSITATIS RECTORE  
MODO FACVLTATIS IVRIDICÆ  
DECANO  
DN. RVDOLPH. CHRIST. HENNE  
ICTO  
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CON-  
SILIARIO REGIMINIS ORD. ICIORVM ET IVDICII ELE-  
CTOR. PROVINCIAL. ADSESSORE NEC NON CODICIS  
ET IVR. FEVDAL. PROFESSORE PVBLICO  
ORDINAR.

DIE VI. APRIL MDCCLXIX.  
IN AUDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI

PRO SYMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS ET  
PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS LEGITIME  
CONSEQUENDIS

PUBLICÆ DISQVISITIONI SVBMITTIT  
AVCTOR

IOANNES FRIDERICVS SCHOLZE

ZITTAVIA - LVSATVS  
ADVOCATVS ELECT. SAX. IMMATRICVLATVS.

ERFORDIÆ, LITERIS NONNIANIS, ACADEM. TYPogr.

